

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



31
COLLEGII SECUNDI
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XVI.

continens

ANTIΘΕΣIN ARTICULI IV.

DE QUÆSTIONE,

An Fides Justificans dif-
ferat à fide historica & mi-
raculorum.

Proposita

In inclutâ Electorali Academiâ VVittebergenſi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:

RESPONDENTE

LAURENTIO ULRICO KONLINO

Wisetho-Franco.

Habebitur in Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 31. Januarij.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH, Acad. Typogr.

A N N O M. DC. XXX.

In Augustanam Confessionem
COLLEGII SECUNDI

DILECTISSIMO

ANTONIO VALLINO
DE QUESTIONE

An Fides iustificet de
seorsum

serat a fide historica & in-

tractat

de

Inclusit thesaurus ad hanc V. debergensis

FRANCISCO

JACOBO MARCELLO S. Th.

D. Theologiae in Gymnasio S. Th.

de

JACOBO MARCELLO S. Th.

de

de

de

Typographus S. Th. S. Th. S. Th.
M. D. C. C. C. C.





D. O. M. A.

Continuatio.



T haecenus omnes ingenii & Sophisticae suae nervos intendit Becanus, quò gratiosam & consolationis plenam de Justificatione Doctrinam subverteret : Sic ab indomita illa, ac effrænata libidine & cupiditate veritatem obscurandi, & quantum in ipso est, totam opprimendi, nondum desistit. Sicut enim in præcedente Quæstione ipsam Fidei essentiam pervertere, & nescio quale ejus loco Idolium nobis obtrudere sategit ; Sic hæc ipsa octavâ, de triplici Fide motâ, distinctionem, quâ Fides Justificans ab Historica & Miraculosa in Sacris literis & Orthodoxa Christi Ecclesia distinguitur, non tantum in dubium vocare, sed pessundare, planeq; tollere conatur. Oportet igitur rursus Jesuitam suae Sophisticae præfidentem, tanquã in gyrum Sanctæ rationis, à Spiritu Sancto revelatæ & informatæ, duci, ut perspiciat, quàm infelici cum successu in injusta, impia & deperdita hæc sua caussa propugnanda laboret, & non nobis, sed ipsi Spiritui Sancto dicam scribere pergat.

T H E S E S.

I. Initiò §. 1. quæ Calvinii de quæstione hac sit sententia, præmittit Jesuita : statim verò & nostram conjungens, in fine hujus §. scribit ; *Videndum esse Kemnitium 1. parte Exam. Concil. Tridentini.* Unde liquet, ipsum non tantum contra Calvinum, sed Lutheranos quoque, & quidem in specie contra Kemnitium,

Magnum illum Veritatis Orthodoxæ & Lutheranæ Assertorem
& propugnatorem, disputare.

II. Et omninò certum est, nec diffitemur Lutherani, tres has fidei vel modos, vel gradus, vel species accuratè distinguendas esse: Fidemq; historicam eam esse, quâ credimus vera esse ea, quæ in scripturis nobis sunt revelata. Deinde Miraculorum, quâ non tantum credimus, nihil esse, quod à Deo fieri non possit: (ut ex Calvino (quæ verò Calvinus mens & sententia esse non videtur) definit Becanus, & sic duntaxat pars fidei historicæ est, si nihil habeat prætereâ) sed potius esse virtutem edendorum miraculorum. Tandem promissionum, (ut quidem Becanus, non nos, fidem veram appellavit) quâ credimus veras esse Dei promissiones de gratuita peccatorum remissione per & propter merita Christi.

III. Hanc quoque posteriorem distinguere possumus in Generalem & Specialem: ut illa sit, quâ generatim credimus promissam esse remissionem peccatorum omnibus illis, qui in Christum credunt: Hæc verò, quâ unusquisq; in particulari verâ ac firmâ fiduciâ promissionem illam sibi applicat, credendo, certoq; statuendo omnia peccata propter Christi meritum sibi esse remissâ.

IV. Sciendum tamen est, quod prior sit adhuc aliquis gradus perfectior fidei historicæ. Nam licet quis credat in genere remissionem peccatorum, sine fiduciali applicatione, is tamen adhuc tantum historicè credit. Certum ergò est, posteriorem hanc fidei promissionum speciem propriè illam esse, quæ justificat.

V. Et licet Fides justificans includat historicam; & sic hæc de essentia illius esse queat, non tamen propterea historica includit statim Justificantem: haud secus ac se res habet in potentiis animæ: ubi superior quidem includit semper & præsupponit inferiorem: non verò vice versâ inferior includit superiorem. Quare licet anima rationalis sit simul sensitiva & nutritiva, non tamen vice versâ nutritiva est simul sensitiva & rationalis; nec sensitiva (etiamsi simul sit nutritiva) est rationalis.

nalis : Sic Fides justificans præsupponit historicam ; non verò hæc includit illam.

VI. Fides ergò historica, ut talis, nequaquã est vel dici potest fides justificans, sive notitiam nudam, sive assensum. duntaxat, sive utrumq; simul spectes : Quandoquidem non duntaxat impii, sed ipsi quoque Dæmones hanc habent fidem, teste Jacobo *cap. 2. v. 19.* Quocirca sacrilegium haud levius fuerit asserere, *Fidem historicam justificare posse*, atque statuere, *impios & Diabolos fide justificante præditos esse.*

VII. Nemo quoque est inter Christianos, qui non habeat fidem : Hæc enim qui caret omni, Christianus non est. Interim non sequitur, omnes Christianos fide salvificã præditos esse. Differentia ergò inter illos nulla datur alia, quàm quod alii tantùm fidem habeant historicam, alii justificantem, quæ historicam includit. Hæ enim solæ sunt formæ illæ diversæ, Christianos à Christianis distinguentes.

VIII. Quia ergò hæc omnia tolluntur & confunduntur à Pontificiis, fidem historicam cum fide justificante prorsus eandem esse asserentibus, cuius manifestum est, ipsos non posse non enormiter errare.

IX. Idem statuendum de fide miraculorum : quæ (ut diximus) virtus edendorum miraculorum, & quidem esse potest cum fide salvifica, ut exempla Apostolorum docent; & *Matthias Flacius in suo comment. sup. vers. 9. cap. 12. 1. ad Corinth.* scribit : *Talem semimiraculo sam fidem in Luthero experti sumus, qui in summis discrimibus, trepidantibusq; aliis fuit infracto animo, optimumq; eventum à DEO precibus impetravit, imò & mundum, ipsum fide expugnavit.* Id quod notabili exemplo probat *Vitus Winshemius, Medicinæ Doctor, in oratione habita in funere Philippi Melanchthonis, die 21. April. Anno 1560.* Ubi ita scribit : *Cum Philippus Vuimaria in morbum periculosum incidisset, quo intra paucos dies ita consumebatur, ut jam omnes de vita ipsius desperarent, accersitur Principis jussu Lutherus, qui quantà potuit celeritate dies ac noctes iter faciens, ad eum venit, eumq; ita ad extremum attenuatum videret, ut præter vocem, eamq; valdè exilem,*

nullum vite indicium amplius reliquisset, cum gemitu & lachrymis exclamat: Heu quàm pretiosum & Ecclesie utile, organum divinum, quàm miserè nobis est affectum, & penè interit! cumq; ipsum tantum salutasset, statim in genua procumbens orare cœpit. Scimus autem quàm seria & ardens fuerit Lutheri precatio: quâ & tunc Philippus quasi è media morte revocatus credebatur.

X. Hæc, inquam, licet sint verâ, & fides miraculosa cum salvifica conjuncta sæpius fuerit, contigit tamen donum hoc miraculorum haud raro & illis, qui fide verâ & salvificâ destituti fuerunt, uti id restatur historia Bileami. *Numer. 24. Judæ. Matth. 10* & ipse Christus docet, quod multi dicturi sint in novissimo die, *Domine Domine nonnè per nomen tuum prophetavimus, & per nomen tuum dæmonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes præstitimus? Sed dicetur illis: Nunquam novi vos, discedite à me, qui operamini iniquitates, Matth. 7. v. 22.*

XI. Hinc rursus non potest non esse satis clarum ac perspicuum discrimen inter fidem Miraculorum & justificantem: quod hæc sit peculiaris quædam fidei species, propriâ ac planè singulari differentiâ specificâ sive ratione formali constans. Prima enim ejus essentialis nota est, quod credit præter spem sub spe. *Roman. 4. vers. 18.* estq; summa illa *ὑπεροχία*, quâ homo credens innititur rebus promissis, quantumvis cum ratione nostra pugnare videntur. Deinde & hanc habet notam, quod objecti loco non omne Dei Verbum habeat, ut nequè quasvis promissiones, sed Evangelii duntaxat proprias, utpotè sunt, de Christi merito nobis acquisito, & de gratuita peccatorum remissione propter Christum, unde quoque *καὶ ἐξ ὀχθῆν Fides CHRISTI* in scriptura dicitur *Galat. 3. vers. 12.* Tertiò, quod juxta Epistolam ad *Hebr. 11. vers. 1.* sit *ὑπόστασις* rerum sperandarum, proptereâ, quod rem creditam tam certam facit, ac si præsens adesset. Quæ sanè notæ neque Fidei historicæ, neque miraculosæ insunt.

XII. Quid autem Becanus? *Hæc sententia*, inquit, §. 2. *planè nulla est, & antiquis Patribus incognita, de qua Doctissimus noster Maldonatus in cap. 9. Matth. Sic habet: ista triplex fides, quam isti nuper invenerunt, figmentum est, somnium est, portentum est, Chimera est. Et si unam haberent fidem, omnem haberent; quia triplicem habent, nullam habent.*

XIII. Respondemus falsum esse i. hanc nostram sententiam & distinctionem esse nullam. Probo. i. Fides justificans est fidelium & filiorum Dei propria: At fides historica, quæ statui-
mus vera esse, quæ verbo DEI continentur, non est fidelium & filiorum propria: Ergò fides historica non est eadem cum justificante. Major probatur *Rom. 10. v. 12. 13. 14. 15.* Minor probatur, quia etiam impiis esse potest. *1. Cor. 13. v. 2. Et si habeam prophetiam & noverim Mystera omnia, omnemq; scientiam: et si habeam totam fidem &c.* Etiam in ipsis Diabolis, ut ex Epistola Jacobi probavimus. Sic Simon Magus credidit *Act. 8. v. 13.*

XIV. Deinde sic argumentando progredior: Si fuerint multi fideles, & adhuc sint, qui non habent fidem miraculorum, fidem verò justificantem habent, tum certum est, fidem justificantem distinctam esse à fide miraculorum: At prius est verum: Ergo & posterius. Major est certissimæ Veritatis. Quæ enim à se invicem subjectis separari ac distingui possunt, illa idem non esse necessum est. Prius probatur exemplis Patriarcharum, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Johannis Baptistæ, & aliorum.

XV. Tertiò. Si fuerint & adhuc sint fideles, qui habent fidem historicam & miraculorum, non verò salvificam; utique fides salvifica erit distincta ab historica & miraculorum: sed illud est verum: E. & hoc. Major est certa propter eandem rationem, quam adduximus probatione Majoris præcedentis argumenti. Minor probatur. i. Exemplo Judæ, qui habuit & historicam & miraculorum fidem, dum miracula edidit, *Matth. 10.* At non habuit justificantem. Deindè exemplo Simonis Magi, qui habuit fidem historicam, at non justificantem, vel ipsis Pontificis testibus, neque miraculorum: non enim
pote

pōterat edere miracula, quippè potentiam edendi miracula pecuniis ab Apostolis emere voluit, habuit verò fidem historicam.

XVI. Quartò. Nulli, qui habent fidem justificantem & finaliter credunt, damnantur: Multi, qui habent fidem historicam & miraculorum, etiam usque ad extremum vitæ halitum damnantur. Ergò fides historica & miraculorum à justificante distinguitur. Major est certa: Qui enim crediderit, salvus erit. *Marc. 16. v. 16.* Minorem probat ipse Christus *Matth. 7. v. 21. & seqq.*

XVII. Deinde distinctionem hanc ignotam fuisse Patribus, & hoc falsum est. Augustinus enim Tom. I. lib. de vera Religione cap. 50. expressè fidem historicam nominat, inquiens. *Distinguiamus ergò quam fidem debeamus historiae, quam fidem debeamus intelligentiæ, quid mandemus memoriæ verum esse nescientes, sed credentes tamen &c.* & Tom. 4. lib. de fide & operibus cap. 16. *Apertissimè Scriptura testatur, inquit, nihil prodesse fidem, nisi eam, quam desinivit Paulus, id est, quæ per dilectionem operatur.* & mox: *Absolutè autem dictum est & apertè: Quid prodest, si dicat quis fidem se habere, opera autem non habet, numquid poterit fides salvare eum? Dicam tamen quàm brevissimè potero ipse quid sentiam de illa Apostoli sententia, ad intelligendum, difficili, dummodò illud, quod ad meam promissionem attinet, præcipuè teneatur, quod de hac me malle dixi audire meliores.* *Fundamentum Christus est in structura architecti sapientis, hoc expositione non indiget. Apertè enim dictum est. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si autem Christus, procul dubio fides Christi. Per fidem quippè habitat Christus in cordibus nostris, sicut idem Apostolus dicit. Porro fides Christi illa utiq, quam desinivit Apostolus, quæ per dilectionem operatur. Non enim fides illa Dæmonum, cum & ipsi credant & contremiscant, & filium Dei confiteantur Jesum, potest accipi in fundamentum. Quare? nisi quia non est fides, quæ operatur per dilectionem, sed quæ exprimitur per timorem. Fides itaq, Christi, fides gratiæ Christiana, id est, ea fides, quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento, neminem perire*
pernit.

permittit &c. Eadem verba repetit August. de octo Dulcitii que-
stionibus tomo eodem mihi pag. 660. a. Vides ergo quo-
modo Augustinus inter fidem Christi, quam definit Apostolus,
h. e. salvificam, & inter fidem, quæ exprimitur per timorem, &
in ipsos Diabolos cadit, hoc est, historicam.

XIIX. De fide Miraculorum audiamus Theophyla-
ctum super Matth. c. 7. Multi cum prædicare incipiebant, eiciebant
Dæmonia, & quamvis indigni essent; per nomen tamen Jesu fugabant
Dæmones. Nam gratia etiam per indignos efficax est, sicut per indi-
gnos sacerdotes sanctificamur: & Judas quoque signum fecit & filii
Sceva. Quod autem dicit, nunquam cognovi vos, hoc vult: neg, tunc,
quando miracula faciebatis, diligebam vos. Hoc enim loco charitas
cognitio dicitur. Et Chrysostomus Homil. 24. in Matth. Sunt
quidem, inquit, qui dicent, eos non eo tempore, quo signa faciebant,
operibus iniquis vacasse, sed postea esse mortuos, & ad iniquitatis ope-
ra conversos. Sed si ita esset, alio rursus modo falsum esse monstraretur
illud, quod Dominus curavit astruere. Quod enim studuit ostendere,
istud profectò est, quoniam neg, fides, neg, mirabilia quicquã valeant, si
non assistat vita. Quod certè dicebat & Paulus: si habuero omnem
fidem, ita ut montes transferam, & novero mysteria omnia, & si ha-
buero omnem scientiam; charitatem autem non habeam, nihil sum.
Qui igitur isti sunt, inquires? Multi profectò credentium acceperant
dona gratiæ, ex quibus erat ille, qui cum in Christi nomine Dæmonem
ejiceret, non tamen eum sequebatur, qualis erat & ipse Judas. Nam
hic quoque, cum esset malus, gratiæ tamen munus acceperat. Quin et-
iam in V. T. id ipsum qui querit, invenit, videlicet in ipsis quoque, indignis
ad aliorum utilitatem gratiam frequenter operatam. Et in his & si-
milibus Patrum dictis, quorum longè plura allegare possemus,
habet Jesuita ipsas Fidei historiciæ ac miraculosæ, ut à justifican-
te distinguuntur, definitiones. Datâ autem & concessâ defini-
tione, datur utiq; ac conceditur ipsum definitum.

XIX. Quæ Maldonatus adfert, convitia sunt, argumen-
ta nulla: Ineptissimus ergo Becanus ista aptissimè adducta esse
judicans. Quomodo enim figmentum, quod Spiritus sanctus,
divinus divinæ veritatis Doctor unicus, docet ipse? Quomo-
do so-

B

do so-

do somnium, quod sancti Dei homines ab eodem Spiritu sancto acti, locuti sunt? Quomodo portentum, quod Mysteriorum, à Filio Dei ex sinu æterni Patris adductorum, summam continet? quomodo chimæra, in quo V. & N. Testamentum suaviter conspirant, quodq; unanimi consensu tradunt?

XX. Hanc igitur distinctionem fidei quando firmiter tenemus, proindeq; fidem verè justificantem, à cæteris speciebus (sed improprie dictis) per se non justificantibus (quippe quæ etiam in impiis, imò ipsis Diabolis inveniuntur) rectè distinguimus, nequaquam ineptimus, sed orthodoxè statuimus, rectè secundum præscriptum verbi divini judicamus & salutariter credimus: quicquid etiam malè feriati & obcæcati Jesuitæ ogganniant.

XXI. Pergit Becanus §. 3. *Et facile refelli potest. Quia fides illa specialis jam explosa est. Ostendi neminem certò posse credere, sibi in particulari remissa esse peccata. Hoc enim revelatum non est.*

XXII. Verba sunt; nihil ejusmodi, de quo gloriatur Jesuita, ostendit, nihil refellit. Sed potius docuimus & demonstravimus nos, quemcunq; fidelem sibi applicare peculiariter promissiones universales de Dei misericordia, neq; applicationem hanc temerariam esse aut incertam, sed solidissimam & certissimam.

XXIII. Quandoquidem omnis verè fidelis ac credens verè scit & cognoscit se credere. Quod initio benè notandum: quippè totius hujus disputationis fundamentum; de quo verò vix aliquid inveniatur disputatum apud Papistas. Unicus *Vasquez disput. 201. in 1. 2.* de illo agit, & concedit quidem certò scire quemq; se credere; negat tamen, scire aliquem se habere habitum veræ fidei, unico, sed admodum infirmo, utens fundamento, nempe negans dari cuique fidei habitum illum. Hanc verò negationem petitionem principii Papisticam esse, quis non videt?

XXIV. Ut autem omnis hinc ambiguitas viterur, sciendum est, quod fides, & *scire credere*, duplici modo dicatur ac confide-

sideretur. Primum quatenus refertur ad ipsius rei, quæ creditur, veritatem: quod fit, quando fides ab hæresi ejusq; falsa Doctrina distinguitur secundum veritatem Doctrinæ. Deinde, quatenus sensum interiorem significat, distinctum non solum ab hypocrisi, quæ ipsa intrinsecus in cujuslibet animo testatur de sua infidelitate, quam homo dissimulat coram hominibus: sed ab assensu quoque historico & persuasione merè humana. Certò enim orthodoxi Lutherani statuimus, veram fidem, eamque justificantem, quâ fideles ab infidelibus, salvandi à damnandis secernimur, non esse nisi à Spiritu sancto in cordibus operante.

XXV. De fide modo priore acceptâ, quatenus ad rei veritatem refertur, nulla impræsentiarum nobis quæstio est, sed in posteriore potestate sive significatione, quatenus simpliciter ab operatione Spiritus sancti pender, in cordibus fidelium per verbum generatur, & usu sacramentorum obsignatur: Hanc operationum dicimus sentiri ab unoquoque, in quo fiat, nec ullum relinquere sui ignarum.

XXVI. Testatur id de se Jobus cap. 19. v. 25. *Scio quod Redemptor meus vivit: & resuscitatus in carne mea videbo Deum meum.* En utramque de se testatur: certam fidei cognitionem: & promissionem fiducialem applicationem: sed de illa tantum hic nobis sermo est. Sunt autem necessariò in verbis illis duo conjunctim consideranda: & fides Jobi, & objectum ejus fidei, ut sensus sit: *Scio me credere in Redemptorem meum, & scio eum esse viventem, & me resuscitatum iri in novissimo die, ipsumq; in carne mea visurum.* Quomodo enim aliàs potuisset dicere se scire, si non pro certo habuisset se scire.

XXVII. Idem testatur Apostolus 2. ad Timoth. 1. v. 12. *Quam ob causam & hac patior, non erubesco: NOVI enim CUI CREDIDERIM, & MIHI persuasum est, eum posse depositum meum in illum diem servare.* En & in his verbis testatur Apostolus certam fidei cognitionem sive scientiam, & promissionum fiducialem applicationem. Sed, inquam, de illa duntaxat hic agim9. Quando itaq; dicit Paulus, *novi cui crediderim*, duo quoq; conjunctim, consideranda nobis proponit: & fidem suam, & fi-

dei suæ objectum : ut hic sit sensus : *Et novi sive scio me credere ,
Et novi sive scio Deum omnipotentem Et veracem esse.* Quomodo enim & hic affirmare potuisset se credere , si non pro certo habuisset , se credere . Loqui autem Paulum de salutari fiducia , totus contextus testatur ac commonstrat . Hæc verò non ex eò oritur & est , quod tantum Deus cognoscatur omnipotens & verax , sed oportet præterea in ipsum credi : Quod omne hic fit in Paulo & Jobo , quando ille addit , *se visurum Deum suum* : Et hic quando addit , *Et mihi persuasum est.* Quocirca qui ignorat se credere , hanc fiduciam nequaquam potest habere . Necessarium ergò omninò est , hunc Paulo fuisse sensum , ut utrumq; certò sciret , & se credere in Deum , & Deum potentem atq; veracem esse : & Jobo , ut utrumque sibi certò persuaderet , & credere se in Redemptorem suum : & posse ac velle ipsum in novissimo die resuscitare , ut sic Redemptorem suum in carne sua visurus sit .

XXIX. Sic idem Apostolus Paulus 2. Cor. 13. v. 5. *Vosmet ipsos tentate , an sitis in fide , vos ipsos probate : Annon agnoscitis vosmet ipsos , videlicet Jesum Christum in vobis esse ? nisi reprobi estis.* Locus hic satis clarus ac disertus . Juberet fideles probare se ipsos . Qui debent probare se ipsos an sint in fide , id præstare non possunt sine cognitione aut sensu fidei suæ . At fideles debent probare se ipsos . Ergò hoc non fiet sine cognitione aut sensu fidei suæ . Et benè notanda est Emphasis in phrasi , in fide esse , quæ habitus fidei designatur , & sanè nullo alio disertius designari potuisset , præsertim cum exponatur per inhabitationem Christi .

XXIX. Notanda etiam illa verba : *nisi estis reprobi* : sanè magna vis . Sic ergò argumentamur : Quicumq; non agnoscunt , se esse in fide , imò docent , se in fide esse , agnoscere non posse ; illi sunt reprobi : Atqui Jesuitæ non agnoscunt se esse in fide &c. Ergò Jesuitæ sunt reprobi .

XXX. Admodum hic se torquent Papani ; & varias quarunt solutiones : Nonnulli interpretantur de miraculoso fidei effectu , ut Christum in nobis esse idem sit , Christum per miraculo-

culosos fidei effectus nobis presentem esse. Alii id de Doctrina fidei sincera & pura interpretantur, ut sit sensus : *Videant Corinthii, an retineant puram & sinceram fidei Doctrinam, an verò tanquam reprobi eam destruxerint ac perdidierint.* Alii volunt, non significari cognitionem omninò certam, qualis ex certitudine divinæ fidei proficiscitur : sed per humanas & probabiles conjecturas sive certitudinem moralem. Alii deniq; prædunt, Paulum non esse locutum absolutè, sed cum certa addita conditione : *nisi fortè reprobi estis* : esse autem certum in homine Christiano, non reprobò, id est, qui propter peccata sua mortalia non meretur à DEO deserì, & gratiâ spoliari, habitare Christum per gratiam.

XXXI. Respondemus ad primam opinionem, nos non ignorare quosdam ex Patribus, utpotè Chrysostomum & Theophylactum, hanc opinionem fovere, *quod*, inquit, *tum temporis, qui credebant, etiam miracula edere solerent.* Sed ratio hæc admodum infirma est. Non enim omnes, sed tantum quidam credentes dono miraculorum edendorum erant præditi : Atqui verò hic Paulus jubet non quosdam, sed omnes Corinthios, se tentare. Adde, quod si hæc interpretatio vera esset, tum contrà disjunctio Pauli falsa foret, significata per Verba illa postrema : *Nisi fortè reprobi estis* : Nam ea significatur, aut Corinthios esse in fide, & in ipsis Christum habitare; aut esse reprobos. Id verò falsum est de fide miraculorum, quippè quæ in multis erat, & multi miracula patrabant, qui non erant in Christo, ut Judas : uti contrà temporibus Apostolorum admodum pauci, in quibus habitabat Christus, erant *ἰαυματῆροὶ*, & post secula aliquot aut nulli, aut ferè nulli.

XXXII. Altera ergò interpretatio melior est, & priori multis modis, ut veritas falsitati, præferenda. Sic interpretatur Ambrosius : *Hoc dicit : quia si probare vos invicem nescitis, non cognoscitis, quia Jesus Christus est in vobis, & hoc est reprobum esse, nescire Religionis suæ fidem. Qui enim fidei suæ sensum in corde habet, hic scit Christum Jesum in se esse.* Theodoretus quoque:

B 3

Non



Non nostra, sed vos ipsos examine, & disquirite, & considerate, an-
verè estis in fide fundati: Oportet enim vos scire, quod ipsum Chri-
stum Dominam habetis inhabitantem. Qui enim non habet hanc fi-
dei cognitionem, desertus est: hoc enim dixit illud reprobi. Sic An-
helmus: Annon cognoscitis vosmetipsos, id est, non cognoscitis qua-
les sitis intus, scilicet, quia per fidem, quam à nobis accepistis, est Chri-
stus Jesus in vobis. Qui verò fidei sensum in corde habet, hic scit Chri-
stum Jesum in se esse: Et vos jam scitis eum in vobis esse, nisi fortè
reprobi estis. Hoc est enim reprobum esse, nescire fidem professionis suæ.
Reprobus enim, ià est, retrò à probatione alienus, qui probitatem fi-
dei & bonæ operationis, quam in Baptismo accepit, ignorat vel de-
seruit. Neq; etiam aliter Thomas.

XXXIII. Omnino hæc interpretatio probanda est. Quan-
doquidem in ea fundata est vis nostri argumenti: Si enim uni-
cuique fideli non posset esse sua fides cognita, utique nullus fi-
delium scire posset, se in vera Doctrina esse, proindeq; nemo
seipsum probare: Quod verò hic seriò mandat Apostolus, a-
deo, ut qui intermittat, reprobus sit.

XXXIV. Hæc autem cognitio non incerta est, ut og-
ganniunt Papistæ, sed omnino certa. Aliàs enim nulla dare-
tur probatio propriè sic dicta: quippè quæ, si vera est, verum
à falso discernit; & sic verum facit certum, notum & manife-
stum. Probatio itaq; quæ rem incertam & dubiam relinquit,
probatio non est. Deinde in hisce verbis Dilemma est: aut
probabitur vos esse in fide, & sic fideles estis: aut non proba-
bitur, & estis infideles. Si fideles probabitur vos ipsos, utique
certi eritis vos esse in fide: Si infideles, probare vos non po-
testis, atque sic non eritis in fide. Propositio est immediata:
cum inter fidelem sive verè credentem, & infidelem tertius
non detur.

XXXV. Contra scopum ergò & mentem Apostoli est,
quod Jesuitæ & quidem inter illos Pererius Disput. 8. in 8. ad
Romanos, Categorica illa verba, *Nisi reprobi estis*, mutet in hy-
pothetica. Quandoquidem pertinent ad vim argumenti, ut
sit, vos, cum probabitur vos ipsos, agnoscat esse in fide, & in
Chri-

Christo. Nam alioquin essetis reprobi. Verum autem est, quod Pererius subjicit, *certum esse in Christiano homine, non in improbo habitare Christum per gratiam*: Quis ergo negabit conclusionem hanc esse necessariam: Fideles, cum se probant, quia sciunt se esse fideles, etiam certo scire, in se Christum per gratiam habitare?

XXXVI. Sententiam hanc nostram approbat quoque Augustinus de Trin: lib. 13. cap. 1. *Fidem porro ipsam, quam videt quisq; in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit, aliter novimus: non sicut corpora, qua videmus oculis corporeis &c.* Et mox: *Non sic videtur fides in corde, in quo est, ab eo, cujus est, sed eam tenet certissima scientia, clamatq; conscientia.* Et cap. 2. *Fides est in intimis nostris: nec eam quisq; hominum videt in alio: sed unusquisq; in semetipso: deniq; potest & simulatione confingi, & putari esse, in quo non est: suam igitur quisq; fidem apud seipsum videt: in altero autem esse credit eam.* Et post pauca: *Fides in animo credentis est, et tantum conspicua, cujus est.* Et Bernhardus de frag. septim. miser. serm. tertio. *Tria inquit, considero, in quibus semper tota spes mea consistit: charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis: Murmuret jam, quantum voluerit, insipiens mea cogitatio, dicens, quis es tu? & quanta est illa gloria? Quibus me meritis hanc obtinere speras? At hoc ego fiducialiter scio, quod credidi: & certus sum, quia in Charitate nimia adoptavit me, quia verax est in promissione, quia potens est in exhibitione: Hic est funiculus triplex, qui difficulter rumpitur, quem nobis è patria nostra in hunc carcerem usq; demissum firmiter, quæso, teneamus, ut ipse nos sublevet, ipse nos trahat usq; ad conspectum gloria Magni DEI.*

XXXVII. Certum ergo est, quemlibet fidelem scire se credere. Eodem planè modo & certum est alterum, quemcunq; fidelem illa suâ fide, quam in se esse scit, peculiariter sibi applicare promissiones universales de misericordia Dei, ac proinde remissionem peccatorum, & spem vitæ æternæ, uti illud in præcedentibus demonstravimus, & disputatione ultimâ pluribus sumus demonstraturi. *Hæc vice sic argumentamur:*

Quod

Quod scriptura testatur pertinere distributivè ad omnes ac singulos fideles, id fides, si vera est, singulis applicat & applicare debet: At scriptura testatur specialem misericordiam distributivè ad omnes & singulos fideles pertinere: Ergò fides vera specialem DEI misericordiam singulis applicat & applicare debet, statuereq; firmâ fiducia credenti particulariter remissa esse peccata, & ad se vitam æternam pertinere.

XXXVIII. Major est per se certa: Nam fides ac promissiones divinæ relatè se habent: Quæ ergò promissiones, & ut, offerunt: illa ità fides apprehendit & applicat. Minor probatur passim ex scriptura, Esa. i. v. 18. *Si fuerint peccata vestra tanquam coccinum, velut nix albescant &c.* Actor. 2. v. 39. *Vobis facta est promissio & liberis vestris, & omnibus, qui longè sunt, quoscunq; advocaverit Dominus Deus vester.* Galat. i. v. 4. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos ex presenti seculo malo, secundum voluntatem Dei & Patris vestri.* Et c. 3. v. 13. *Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio, ut in gentibus benedictio Abrahæ extet in Christo Jesu, & ut promissum illum Spiritum Sanctum accipiamus per fidem.* Et v. 27. *Quicumq; in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

XXXIX. Deinde, si nulli datur vita æterna, nisi qui specialiter & particulariter per fidem particeps est misericordiae, id est, Christi beneficiorum; unq; fides est specialis certa persuasio & promissorum applicatio. At prius est verum: Ergò & posterius. Connexio majoris hypotheticæ est *ἀπό τῆς* &c. Minor sive prius probatur Marci 16. v. 16. *Qui crediderit, salvus erit.* Luc. 7. v. 50. *Dixit JESUS ad mulierem: Fides tua te servavit.* Joh. 3. v. 15. *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* i. Joh. 5. v. 1. *Quisquis credit Jesum esse Christum, ex Deo natus est.* Et v. 5. *Quis est, qui vicit mundum, nisi qui credit, quod Jesus est Filius Dei?*

XL. Tertiò: Qualem fidem salvificam habuit Paulus, talem habent & habere debent omnes fideles: At Paulus habuit fidem specialem: Ergò ejusmodi specialem fidem habere debent omnes Fideles. Major est certa, ut enim unus Mediator

tor

tor Dei & hominum, unumq; Baptisma: Sic quoq; una fides. Minorem & sic fidem suam specialem pulcerrimè probat Paulus Gal. 2. v. 20. inquit: *Vivo in fide Filii Dei, qui dilexit ME, & tradidit semetipsum pro ME.*

XLI. Quartò: qualem fidem DEUS requirit in quolibet salvandorum, talis fides est & esse debet in singulis fidelibus: At specialem fidem requirat DEUS in quolibet salvandorum. Ergò specialis fides debet esse & reverà est in singulis fidelibus. Major est certa: Minor probatur Matth. 9. v. 2. *Confide Fili, remittuntur TIBI peccata TU A.* Et Johan. 20. v. 27. dicit Thomæ: *Ne sis incredulus, sed credens.* Particularem itaq; fidem quando negat Becanus, tunc Christo asseveranti non credendum esse blasphemè calumniatur. Idem dicit Paulus custodi carceris *Act. 16. v. 31. Crede in Dominum Jesum.* Idem docuit Johannes Baptista *Act. 19. v. 4.*

XLII. Quintò: Quod in singulis fidelibus Spiritus sanctus particulariter testatur, id certò & particulariter debent credere. Atqui specialem gratiam, adoptionem, remissionem peccatorum, & quod certò singuli fideles servandi sint, testatur particulariter Spiritus sanctus: Ergò specialem gratiam, adoptionem, remissionem peccatorum &c. particulariter credere debent. Major est certissima; Minor fundatur *Rom. 8. v. 14. & 16.* ubi Apostolus duos adoptionis nostræ testes introducit: Spiritum nostrum h. e. conscientiam sanctificatam, & Spiritum sanctum, qui se insinuat Spiritui nostro, & illum excitat. Et *2. Cor. 1. v. 21. 22. Qui confirmat nos vobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus est. Qui etiam obsignavit nos, deditq; Arrhabonem Spiritus in cordibus nostris 1. Cor. 2. v. 12. Nos non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui est ex Deo, ut sciamus, quæ Deus est nobis gratificatus. & v. 16. Quis novit mentem Domini, qui instructurus sit eum? Nos autem mentem Christi habemus. Gal. 4. v. 6. Quoniam estis filii, emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater.* Specialis itaq; hæc fides à testimonio, quod Spiritus sanctus in cordibus reddit, proficiscitur, & à Jesuita exploditur.

○

43. Se.

XLIII. Sexto : si finis Scripturæ est, ut singuli credamus & fide sciamus, quod vitam æternam habeamus singuli, si quoque fide scimus singuli, quod Filii Dei simus : sique fide testimonio Dei credere debemus, quod in Christo singulis nobis dederit vitam æternam ; utique fides nihil est aliud, quam singularis Dei misericordiæ persuasio, certique esse possumus fide de vita æterna, & de remissione peccatorum : At prius est verum : Ergo & posterius. Connexio majoris est *autem* 5. Minor sive prius probatur Johan. 20. v. ult. *Hæc Scripta sunt, ut credatis, quod Jesus est Christus ille Filius Dei, & credentes vitam habeatis per nomen ejus.* 1. Johan. 5. v. 10. & seqq. *Qui credit in Filium Dei habet testimonium in seipso : qui non credit Deo, mendacem fecit eum : quia non credit testimonio, quod testificatus est Deus de Filio suo. Est autem hoc testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus est.* v. 13. *Hæc scripsi vobis, ut sciatis, quod vitam habeatis æternam &c.* Vide ipsum Apostolum.

XLIV. Quid? quod in Epistola ad Hebræos per totum caput undecimum specialis hæc fides in fidelibus commendatur : Quæ verò more planè Antichristiano a Jesuita exploditur. Plura argumenta videantur disp. præced. 15. & infra 18.

XLV. Tantùm adhuc addam quædam Petrum dicta. Tertullianus lib. de Baptismo : *Fides, inquit, habet integram securitatem salutis.* Cyprianus serm. 4. de mortal. *Quis hic anxietatis & sollicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus & mæstus est, nisi cui spes & fides deest? Ejus enim est mortem timere, qui ad Christum transire nolit : Ejus est ad Christum transire nolle, qui se non credit incipere cum Christo regnare. Scriptum enim est, justus ex fide vivet : si justus es, etiam fide vivis, si verè in Deum credis, cur non cum Christo futurus es? & pollicitationem Domini securus amplecteris? Idem, ibidem : Deus tibi de hoc mundo discedenti immortalitatem pollicetur, & tu dubitas & fluctuas, hoc est Deum omninò non nosse, id est, Christum credentium Magistrum peccato incredulitatis offendere : hoc est in Ecclesia constitutam fidem, in domo fidei non habere. Augustinus in Psal. 88. *Hoc, inquit, dixit Deus, hoc promisit, si parum est,**

est, hoc juravit : quia ergò non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione predicare, de quo non potest dubitare. Hilarius in cap. 5. Matth. Regnum cœlorum, quod Dominus noster in se positum esse est professus, vult sine aliqua incerta voluntatis ambiguitate sperare, quod alioquin ex fide justificatio nulla est, si fides est ambigua, &c.

XLVI. Pergit Becanus & probare conatur, fidem miraculorum esse ipsam fidem salvificam : Certè fides illa, inquit, de qua loquitur Christus Matth. 16. v. 16. Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit : qui verò non crediderit, condemnabitur. Hec, inquam, fides justificans est, quia, qui illam habet, salvus erit ; qui non habet, condemnabitur. Et tamen eadem fides miraculorum est, ut patet ex verbis seqq. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent &c.

XLVII. Primùm nego fidem justificantem & facultatem edendorum miraculorum, eandem ibi virtutem finiri. Quandoquidem ita accipi non potest, tanquam singuli homines conversi istam facultatem edendorum miraculorum habere debeant : Sed Ecclesiæ id promittitur, in cujus usum aliquibus tantùm ejus membris datur, ut ex 1. Cor. 12. liquet : idq; ad certum usq; tempus : Nempè donec verbo scripturæq; per orbem terrarum ac apud Gentiles plena fides concilietur : quo effecto, nihil amplius miraculis opus : imò etiam severiter vetatur porrò respicere ad miracula Matth. 24. 2. Thessal. 2. Quare etiam mox post Apostolos cessarunt vera miracula, testantibus id etiam Patribus, donec nova falsaq; exorta sunt.

XLVIII. Unde sic argumentor : sine quo fides vera & salvifica, & quod sine fide salvifica esse potest, illud non est idem cum fide salvifica : Atqui fides vera & salvifica esse potest sine fide & vi edendi miracula : & hæc esse potest sine illa : Ergò fides salvifica non est eadem cum fide miraculorum. Major est certa : Nam, si fides salvifica esse potest sine justificante, & hæc sine illa ; utiq; possunt separari : Atqui verò separatio esse

nequit sine numeri multiplicatione : quam unitas & identitas respuit. Minor ex parte jam probata est. Nam 1. Fides hæc nunquam fuit in omnibus fidelibus, sed in quibusdam duntaxat : initiò quidem multis, deinceps tamen aut paucis aut nullis. 2. Reprobis quoque communis est, proindeque in illis esse potest, qui fide justificante carent. *Matth. 7. vers. 22. & 23. Unde & Judas fecit miracula Matth. 10. vers. 1.*

XLIX. Adde, quòd miraculorum hæc fides totã suã naturã sit diversa à fide justificante. Quandoquidem fides miraculorum per se non est in intellectu, sine quo nullam propriè dictam fidem esse statuendum est. Est ergò Donum Dei, unde miracula patrentur, interdum etiam in insciis aut non cogitantibus, proindeque in effectis tota consistit. Nam (ut supra quoque monuimus) credere DEUM omnia posse, à DEO omnia fieri, non est fides miraculorum, sed ad historicam pertinere censemus, si nihil habet præterea, ut in Dæmonibus. Et rursus certum est infinitas hominum Myriadas credere, omnia Deo possibile; qui tamen fidem miraculorum neq; habent, neque habuerunt, neq; habituri sunt unquam.

L. Progreditur Becanus ad alium locum. *Similiter, inquit, Apostolus 1. Corinth. 13. v. 13, cum ait : Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, Charitas; loquitur de fide justificante, ut fatetur Calvinus lib. 3. Instit. cap. 18. §. 8. Et tamen loquitur de illa fide, de qua paulò ante locutus erat in eodem capite v. 2. si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem tamen non habuero, nihil sum. Hæc autem fides est miraculorum.*

LI. Agi utroque in versu de fide concedimus: sed de eadem negamus. Demonstratum enim dedimus, Fidem miraculorum non esse fidem salvificam. Imò demonstrat ipse Christus Matth. 9. quando ad illos, qui sua miracula & prophetias allegant, disertè dicit. *Nunquam novi vos.* Quod nunquam Christus diceret de iis, qui veram fidem habent: quos contra asserit *in se manere.* Quia igitur negari non potest (cum in utroque versu descriptiones sint perspicuæ & satis claræ) quod
prio-

priore versu 2. de Fide miraculorum agat Apostolus ; in v. 13. de fide Justificante : Sequitur, quod non agat de eadem fide : neq; probare hisce locis poterit, Fidem miraculorum esse ipsam fidem Justificantem.

LII. Nec obstat particula *omnis*. Non enim *omnis* fides hinc significare potest distributivè quamvis fidei speciem, sed quasi totam & integram fidem miraculosam, hoc est, totam illam vim à DEO quibusdam concessam faciendi miracula in Confirmationem fidei Catholicæ, ut ipsemet Apostolus suum sermonem restringit, addens, *ut montes transferam*. Sic supra quoque cap. 1. tribuit eis *omnem*, id est, totam aut integram notitiam. Consentit Oecumenius, qui in illa verba scribens, distinguit inter fidem miraculorum sive signorum, & dogmatum. Πίστιν Φήσιν, ἢ ἢν τῶν δογματῶν, ἀλλὰ τὴν τῶν σημείων : Fidem dicit, non eam, quæ est dogmatum, sed eam, quæ est signorum : quæ verba à suo habet Chrysostomo : cui Theodoretus accedit : Item Hieronymus & alii.

LIII. Pergit Becanus §. 4. ad Fidem historicam. *Falsum* quoque est, inquit, fidem historicam non justificare. Annon Fides historica est, quæ credimus, Christum esse crucifixum, mortuum, sepultum, descendisse ad inferos, resurrexisse à mortuis & ad cælos ascendisse ? Nisi Calvinistæ velint fabulam, non historiam esse, quæ ab Evangelistis de Christi morte, sepultura, resurrectione & aliis Mysteriorum accuratè scripta sunt. Atqui eadem illa fides, quæ hæc omnia de Christo credimus, fides justificans est, ut partim ex Symbolo Apostolico & Athanasii, partim ex scripturis clarissimè ostenditur. Rom. 10. v. 9. Si in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Et 1. Cor. 15. v. 1. Notum facio vobis Evangelium, per quod salvamini, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris & quasi sepultus est, & quia resurrexit tertiâ die &c.

LIV. Argumentum ergo principale Becani est ejusmodi : Qui credit Christum esse crucifixum, mortuum, sepultum, descendisse ad inferos, resurrexisse à mortuis, & ad cælos a-

scendisse, ille est justificatus & salvatus, ac proinde est verâ fide justificante præditus: Atqui qui habet fidem historicam, ista omnia credit: Ergo qui habet fidem historicam, est justificatus & salvatus, & sic verâ fide præditus. Et per consequens, fides historica & salvifica sive justificans est eadem fides.

L V. Negamus majorem. Quandoquidem omnia illa credit Diabolus, credidit Arius, Phorinus & multi alii notorii Hæretici, non verò propterea fuerunt justificati vel salvati. Simon quoque ille Magus dicitur credidisse *Actor. 8. v. 13.* & tamen non habuit cor rectum in conspectu DEI. Et apud Epiphanium *ὄνκ ὀρθὴν καρδίαν, ἔπε τὸν λογισμὸν: neq; rectum cor, neq; ratiocinationem.* Psalm. 50. v. 16. DEUS dicit Impio: *Quid tibi, ut enarres statuta mea, & assumas pactum meum in os tuum? Tu verò odisti disciplinam & projecisti verba mea post te.*

L V I. Ad minorem: Fides quidem historica credit illa omnia, quæ fides salvifica, proindeq; idem habet objectum, nimirum quicquid revelatum est in scriptura; sed modo, ratione, gradu admodum inæquali: Cum fides justificans cognoscat cum applicatione; historica cognoscat quidem, sed sine applicatione: ideoq; non tam cognitione, quàm applicatione differunt. Quandoquidem fides historica veritatem indefinitam considerat tantum: fides verò justificans hanc ipsam indefinitam veritatem particulariter applicat, peculiari modo hærens promissionibus de salute æterna, tanquam proprio fundamento. Hinc vel ipsi Dæmones per fidem historicam dicere possunt: *Omnes, qui credunt in Filium Dei, salvabuntur:* At verè fideles non id tantum, sed amplius: *Ego, quia credo in Filium Dei, salvabor.* Imò eo ipso, quod historicè credunt, omnes credentes servatum iri, credunt etiam, se servatum iri, quia credunt.

L V I I. Quod cum sit, duæ fides intelligi possunt eo modo, quo duæ vitæ: vegetans & sentiens: Non sanè hoc sensu,

su, ut ullum animal vivat duabus distinctis, ut sic loquar, vitis, una vegetante, & alia sentiente: sed quia vivat & planta & animal: aliter verò illa, aliter hoc: illa tantum vegetantem: hoc verò & sentientem, hoc est, non duas vitas, sed unam, quæ utramque facultatem habeat. Sic quoque fidelis fide credit historicam & salvificam, sed non tanquam duplici, sed tanquam una, quæ utramque habeat facultatem; certitudinem nimirum historiam, & applicationem peculiarem. Quare, ut distinctio vitæ vegetantis & sentientis nunquam fit in uno subjecto, in uno animali, sed semper in distinctis, nimirum planta & animali: Sic quoque distinctio fidei historicæ & justificantis, nunquam in eodem fit subjecto, nempe in fideli, nisi forsan Doctrinæ causâ, sed in distinctis, in fideli & infideli, ut illius fides sit simul historica & justificans; hujus tantum historica.

LIIIX. Quæ si rectè considerentur & pensitentur, tum etiam in ipsa cognitione & assensu quædam apparebit diversitas: ut ipsum *credere historicè* non sit planè idem in infideli & fideli. Ut non planè eadem est vita vegetans in plantis & animali. Fides enim historica in infidelibus, & sic ut historica considerata, ea est, quæ persuasum habet, quæcunque in Scriptura sancta leguntur, esse certissima, quomodo in Livio, Tacito, Suetonio, sed non ita fides historica in fidelibus: quippe quæ tota ab Autoritate DEI & Spiritus sancti pendent, tanquam ab immota & infallibili veritate: proindeque tantum est ab illuminatione planè singulari Spiritus Sancti: ac propterea alius affurgit, nempe ab intellectu illuminato, ut veritatem non habeat incognitam, ad voluntatem afficiendam: ut, quæ cognoscit, eadem amet & amplectatur. Tantum ergo hic discrimen est, ut historica fides possit non tantum non amare, sed etiam odisse ea, quæ novit, sicut Deum & Christum ejus Dæmones: Fides verò justificans non possit.

LIX. Quare ista quando rectè explicantur & distinguuntur, neque minor simpliciter vera est: Cum historica fides non
illa

illa credat salutariter: Et ineptissima esse simul intelliguntur, quæ ab absurdo disputat Becanus, nempe, si non concedere velimus fidem historicam & salvificam eandem esse, tum cogi nos posse, ut asseramus, fabulam non historiam esse, quæ Evangelistæ scripserunt de Christi morte, sepultura, resurrectione &c. Hæc, inquam, ineptissima sunt, cum, ut demonstravimus, illa firmiter credat fidelis fide sua justificante; imò longè firmitus & certius, quàm infidelis fide sua historica: & maneat nihilominus fides historica & salvifica distinctissimæ; proindeque nulla sit consequentia: Fides salvifica cognoscit & credit ea, quæ cognoscit & credit fides historica: Ergò non distinguuntur, sed sunt idem: Nulla, inquam, hæc est consequentia, ut patet; Quia utraqùe quidem credit & cognoscit: sed non eodem modo.

LX. Dictum ad *Roman. 10.* tantum abest, ut nostram sententiam confutet, ut ipsam fortiter stabiliat. Quandoquidem agit ibi Paulus de justitia nostra valente coram DEO: Cujus summam ponit in fide, respiciente & amplectente Dominum Jesum, mortuum ob peccata nostra, & resuscitatum propter justificationem nostri *Roman. 4.* Quæ fides ita sit comparata, ut in oris confessionem externam erumpere minimè dubitet. Quis ergò non intelligit, agere Apostolum non de fide nuda historica: sed de fide justificante, & verâ fiduciâ prædita: quæ amplectatur Christum, & nullum metuat periculum, quin veritatem cœlestem publicè confiteatur? Quæ certè fidei historicæ propria non sunt, sed tantum fidei justificantis.

LXI. In *1. Corinth. 15.* Paulus Doctrinæ suæ summam exponit, sitam in præcipuis articulis, qui salutis nostræ Mysterium quàm proximè attingunt, & objectum sunt propriè fidei salvificæ. Nihil ergò contra nos.

LXII. Paragraph. 5. quæstionem proponit Jesuita ad quam sibi imaginatur neminem respondere posse. *Ad extremum, inquit, quero ex Adversariis, cum dicunt triplicem esse fidem an lo-*

*an loquantur de habitu fidei, an verò de actu. Si de habitu non plu-
res, sed unus tantum est. Si de actu, non tres tantum sed infiniti sunt.
Nam sicut alio actu credimus promissiones Dei remissione de peccato-
rum, alio historias à Deo revelatas; alio omnipotentiam Dei; sic
etiam alio credimus minas & terrores Dei, alio Unitatem & Trinita-
tem Dei, alio Ecclesiam Catholicam, alio futurum iudicium, & sic
deinceps.*

LXIII. Respondemus; Nos triplicem fidem aut tres
fides nunquam diximus: Sed Homonymiam vocabuli distin-
ximus, & ejus palmaria & usitatiora significata (cum præter
hæc tria adhuc plura sint) recensuimus, ne imponant incautis,
imò Jesuitarum fraudibus inserviant. Quis autem audivit
unquam triplicem cancrum seu tres concretos constitui ab eo,
qui distinguit cancrum piscem, cancrum fidus, & cancrum
morbum.

LXIV. Deinde, ex illis, quæ modò à nobis explicata
sunt, sine ulla difficultate ad propositam quæstionem sumitur
responsio: Nos tribus modis fidei vocem accipere propter
triplex subjectum & Ens, cui tribuitur. Certum enim est,
quod non omnes, qui fide miraculosa sunt præditi, & miracu-
la faciunt, habeant fidem justificantem, ut exemplum Judæ
proditoris testatur: Neque omnes, qui habent fidem justifi-
cantem, miracula faciunt, ut Abraham, Johannes Baptista. &c.
Neque omnes, qui habent fidem historicam, statim habent fi-
dem vel justificantem vel etiam miraculosam, ut Simon Ma-
gus. Quidam tantum in primitiva Ecclesia habuerunt fidem,
triplicem actum edentem. Ut ergò, sicut diximus, alia est vi-
ta in plantis, quæ tantum est vegetans; alia vita in animali ir-
rationali, nempe vegetans simul & sentiens; & alia in homine,
& vegetans & sentiens & rationalis sive intelligens; Sic quo-
que alia est fides in infideli historica, & interdum miraculosa:
alia autem fides in fidelibus, quæ & historica est & justificans,
interdum quoque miraculosa. Atque in ejusmodi fideli non

est triplex fides, sed unica fides, quæ scit & credit historias sa-
D cras

oras esse veras, edit miracula, & justificat. Concedimus illam unicam fidem in habitu & essentiâ sua non multiplicem, licet diversos actus habeat: quorum quidem plurimi sunt: ad tria tamen illa genera revocari possunt.

LXV. Tandem §. 6. disputationem hanc concludit Becanus his verbis: *Unde rectè Catholici docent, fidem, si sumatur pro dono habituali ac permanente, quod à Deo nobis infunditur, unam tantum esse, & extendi ad omnia ea credenda, quæ divinitus revelata sunt. Sortiri autem varia nomina ratione diversarum partium sui objecti adequati. Et quidem quatenus fertur in historias à Deo revelatas, vocari fidem historiarum; quatenus in omnipotentiam Dei, cui nihil impossibile est, fidem miraculorum: quatenus in promissiones à Deo factas, fidem promissionum. Itaq; non esse tres fides, sed unam, quæ variis nominibus exponi possit. Porrò eandem fidem, tametsi una sit, habere tamen diversos actus, quorum uno credatur unus Articulus, aliò alius, & sic deinceps. Nullum tamen esse, quo quis certò persuasus sit, peccata sibi esse remissa, eò, quod hic actus non versatur circa rem à Deo revelatam.*

LXVI. Initiò, quæ disputat de una fide & pluribus ejus actibus, concedere possumus, quando intelligantur de fide, quæ in fideli est, & à qua homo fidelis de nominatur, & justificari dicitur. Quandoquidem concessimus, quod fides illa sit unica, non triplex vel multiplex, licet plures actus habeat. Inde tamen nequaquam sequitur, fidem illam esse essentiâ & naturâ eandem cum fide, quæ est in infideli, vel etiam in ipso Diabolo, quâ & ille credit, quæ in sacris literis sunt scripta, vera esse. Si enim eandem haberet naturam, infidelis non esset infidelis, & Diabolus non esset Diabolus; sed Deo reconciliatus, & ille fidelis, hic Angelus lucis.

LXVII. Deindè in specie fidem miraculorum quod attinet, illam non definimus (uti ex præcedentibus quoq; constat) eam, quæ fertur in omnipotentiam, creditq; quod Deo nihil sit impossibile, quippè quæ historica est, vel omninò pars ejus: Sed potius, est vis à Deo concessa quibusdam hominibus
facien-

faciendi miracula in confirmationem fidei Catholicæ, nimirum ut hanc cognoscerent populi esse à Deo, vero miraculorum Autore, & hoc modo persuaderentur inducerenturque ad credendum. Non ergò propriè est habitus, neq; per se est in intellectu, in quo aliàs est & esse debet fides propriè dicta: Est ergò peculiare Donum Dei, quod duntaxat in effectis consistit, patris sæpius ab impiis vel ignorantibus, vel etiam ab inanimatis, ut ab ossibus Elisæi 2. Reg. 13. v. 21. ab aqua piseinæ, quæ dicebatur. Bethesda Job. 5. v. 2.

LXVIII. Unde liquet, quod hoc donum planè singulare sit, & non ita ingrediatur essentiam fidei salvificæ, sicut Historica, sine qua fides salvifica esse nequit, licet sine hac illa esse queat: & fides salvifica & historica sine miraculosa esse possint; ut & hæc sine utraq; illa.

LXIX. Tandem quod addit, inter omnes actus fidei nullum esse, quo quis certò persuasus sit, peccata sibi esse remissa, eò, quod hic actus non versetur circa rem, à Deo revelatum, illud in præcedentibus sufficienter refutatum est, & pluribus refutabitur in sequenti decima septima, & tandem in ultima disputatione.

F I N I S.



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







SECUNDI
Confessionem

ARTIO XVI.

tinens
ARTICULI IV.
ESTIONE,

ustificans dif-
istorica & mi-
drum.

posita
cademiâ VVittebergenſi,

SIDE
ARTINI, SS. Th.

rimario, Facult. Theol.

npli Arcis Præposito:

ONDENTE
ALRICO KONLINO

ho-Franco.

ditorio Collegii Veteris

em 31. Januarij.

EBERGÆ,
NIS AV ERBACH, Acad. Typogr.
O M. DC. XXX.